

CAPUT XV

DE CONSEQUUTIONE TEMPORUM ET ORATIONE OBLIQUA

ARTICULUS I. CONSEQUUTIO TEMPORUM

403. 1.º Praesens et futurum propositionis principalis requirunt praesens in subordinata, si hujus actio simul exerceatur; perfectum, si praecedat: v. gr.

Video, videbo, videro, quid facias.
Video, videbo, videro, quid feceris.

2.º Imperfectum, perfectum historicum et plusquamperfectum propositionis principalis adsciscunt sibi imperfectum in subordinata, ubi utraque simul peragitur actio; plusquamperfectum vero, si verbi principis actio praecedit: v. gr.

Videbam, vidi, videram, quid faceres.
Videbam, vidi, videram, quid fecisses.

404. Quod si verbum subjectum respectu principis verbi futurum tempus adsignificet, utemur praesenti vel imperfecto subjunctivi conjugationis periphrasticae pro futuro imperfecto activo: v. gr.

Scio, sciam, quid acturus sis.
Sciebam, scivi, sciveram quid acturus esses.

(Cic. Att. 13. 9). *Ad quos dies REDITURUS SIM, scribam ad te.* (Id. Att. 2. 22). *Quid ESSET FACTURUS, scire possemus.*

Naturali vero conjugationi erit locus, si prius verbum sit *spero*, vel aliud ex quo plane eluceat propositionem subordinatam ad tempus futurum pertinere. (Cic. Fam. 14. 7). *SPERAT, posse fieri, ut mecum in Italiam DECEDAT.* (Id. Att. 9. 10). *SPES quaedam me obtentabat, fore ut aliquid CONVENIRET, polius quam aut hic tantum sceleris, aut ille tantum flagitii ADMITTERET.*

N. B. 1.º Perfectum logicum propositionis principalis censetur praesens; praesens vero historicum existimatur quandoque imperfectum. (Cic. Caecil. 3). *Quibus rebus adductus ad causam ACCESSERIM, demonstravi.* (Tengo ya demostrado). (Cic. Verr. 2. 4. 48). *Diodorus ad propinquum suum scribit, ut RESPONDERET.*

N. B. 2.º Tempus subordinatae secundi ordinis definitur a subordinata primi ordinis. (Cic. Att. 4. 5). *Testis erit tibi ipsa, quantae mihi curae FUERIT, ut Quinti fratris animus in eam ESSET is, qui esse deberet.*

N. B. 3.º Si ab infinito pendet subordinata, hujus tempus definitur a verbo finiti modi, quod suppletur a verbo infinito. (Cic. Leg. Man. 10). *Satis mihi multa verba FECISSE videor (= feci), quare hoc bellum ESSET necessarium.*

N. B. 4.º Propositiones consequutivae, ut dictum est n. 396. N. B. 3.º, consequutioni temporum per se non subjiciuntur.

Quum verbum princeps est praeteriti temporis, in subjecto autem rem exprimimus quae eodem tempore efficitur; tum imperfectum, tum etiam perfectum subjunctivi licet usurpare. Si imperfectum adhibeas, servabis temporum consequutionem; sin ve-

ro perfectum, rem cum praesenti tempore comparabis. (Cic. Fam. 7. 26). *Quum quidem biduum ita jejunos fuisset, ut ne aquam quidem GUSTAREM.* (id. Att. 2. 4). *Quod a me ita praecautum atque ita provisum est, non ut ego de optima illa mea ratione DECEDEREM, sed ut ille ESSET melior, et aliquid de populari levitate DEPONERET.* (id. Att. 4. 14). *Distinebar, ut huic viae tantulae epistolae tempus HABUERIM.* (id. Att. 4. 4). *Ad urbem ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus FUERIT, qui mihi obviam non venerit.*

ARTICULUS II. ORATIO OBLIQUA

405. Propositio principalis, quae aliquid narrat, habetque indicativum in loquutione directa, in obliqua requirit infinitum: v. gr. (Cic. Verr. 2. 5. 62). *Res ad Verrem defertur: ESSE civem romanum, qui se Syracusis in lautomiis fuisse quereretur: quem jam ingredientem in navem RETRACTUM ESSE et ASSERVATUM.* (loq. dir. *Erat civis romanus, qui querebatur.*)

406. Propositiones imperativi vel subjunctivi, quae exprimunt *mandatum, consilium, precem, exhortationem*, quum efferuntur loquutione obliqua, amant subjunctivum sine *ut*, si affirmant: quae vero negant, subjunctivum cum *ne*. (Liv. 7. 6). *Moesti patres fremunt: IRENT, CREARENT consules ex plebe.* (loq. dir. *Eant, creent.*)

407. Subjunctivum etiam postulant propositiones quae pendent a verbo infiniti vel subjunctivi, ejusque sunt complementum. (Cic. Fam. 2. 6). *Non dubitavi id a te petere, quod mihi ESSET omnium maximum maximeque necessarium.* (Nisi verbum esset dependens: *Id a te petii, quod mihi erat...*). (Id. Or. 44). *Mos est Athenis laudari eos, qui SINT in proeliis interfecti.* (Id. Amic. 4). *Recordatione nostrae amicitiae sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione VIXERIM.*

408. Periodus hypothetica 1.^{ae} et 2.^{ae} formae in obliqua oratione habet propositionem principalem in subjunctivo vel infinitivo, et servat regulas consequutionis temporum; unde fit, ut quandoque 3.^{ae} formae speciem induat.

Oratio obliqua

(Cic. Att. 2. 22). (Pompejus) vehementer egit, quum diceret, in summa se perfidiae et sceleris infamia FORE, si mihi periculum CREARETUR ab eo, quem ipse armasset, quum plebejum fieri passus esset; sed fidem recepisse sibi et ipsum et Appium de me; hanc si ille non SERVARET, ita LATURUM, ut omnes intelligerent, nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse.

Oratio recta

In summa perfidiae et sceleris infamia ERO, si illi (Ciceroni) periculum CREABITUR ab eo, quem ipse armavit quum plebejum fieri passus sum; sed fidem recepistis mihi et ipse et Appius de illo (Cicerone); hanc si non SERVABITIS, ita FERAM, ut omnes intelligant nihil mihi antiquius amicitia nostra fuisse.

409. Periodus 3.^{ae} formae pendens a particulis quae postulant sub-
junctivum vel in obliqua interrogatione, plusquamperfectum propositionis
principalis vocis activae mutat in perfectum conjugationis periphrasticae;
at si verbum est vocis passivae, vel caret participio in *rus*, servatur plus-
quamperfectum.

Hoc si dixisses, erravisses.—Non dubito QUIN, SI *hoc* DIXISSES, ERRATU-
RUS FUERIS.

Hoc si dixisses, reprehensus esses.—Non dubito QUIN, SI *hoc* DIXISSES,
REPREHENSUS ESSES.

Hoc si dixisses, te poenituisset.—Non dubito QUIN, SI *hoc* DIXISSES, *te*
POENITUISSET.

(Liv. 2. 1). Non ambigitur QUIN Brutus id FACTURUS FUERIT, SI *re-*
gnum alicui EXTORSISSET. (Id. 22. 52). Adeo inopia est coactus Hannibal,
UT, NISI *tum fugae speciem abeundo* TIMUISSET, Galliam REPEITURUS
FUERIT.

N. B. Verba quae possibilitatem aut debitum significant, saepe ponuntur in perfecto;
at si pendent ab aliquo tempore praeterito, tum haec verba, tum alia, imperfectum vel
plusquamperfectum possunt retinere. (Caes. B. G. 5. 47). VERITUS NE, SI *eo hibernis fu-*
gae similem projectionem FECISSET, hostium impetus sustinere non POSSET.

410. Si verbum, a quo pendet periodus, requiret infinitum, imperfe-
ctum propositionis principalis migrabit in futurum, plusquamperfectum
vero efferetur per participium in *rus* et *fuisse* in verbis activis aut depo-
nentibus, per *futurum fuisse ut* cum imperfecto subjunctivi in verbis
passivis.

Hoc si diceres, errares.—EXISTIMO *te, si hoc* DICERES, ERRATURUM ESSE.

Hoc si dixisses, erravisses.—EXISTIMO *te, si hoc* DIXISSES, ERRATURUM
FUISSE.

Hoc si dixisses, reprehensus esses.—EXISTIMO, SI *hoc* DIXISSES, FUTURUM
FUISSE UT REPREHENDERERIS.

(Cic. Acad. 1). NUNTIATUM EST *nobis, nisi de via* FESSUS ESSET, continuo
ad nos VENTURUM FUISSE. (Caes. B. G. 5. 29). Titurius clamabat, SI *Caesar*
ADESSET, neque Carnutes interficiendi Tasgetii consilium FUISSE CAPTIVOS
(= cepissent), neque Eburones tanta cum contemptione nostri ad castra
VENTUROS ESSE (= venirent). (Cic. Mil. 18). Qui Clodium NEGANT *eo die*
Romam, nisi de Cyro AUDISSET, FUISSE REDITURUM. (Id. Tusc. 3. 28). DI-
CEBAT Theophrastus, hominum SI *aetas* POTUISSET *esse longinquior*, FUTURUM
FUISSE UT *omni doctrina eorum vita* ERUDIRETUR. (Caes. B. G. 3. 104).
NISI *nuntii* ESSENT ALLATI, existimabant plerique FUTURUM FUISSE UTI (*op-*
pidum) AMITTERETUR.

N. B. 1.^o Quod si tempus est imperfectum, fere utemur verbo interposito. (Cic. Fin.
1. 3). Male, CREDO, MERERER *de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia*
transferrem.

N. B. 2.^o Verba possibilitatis aut debiti, et quae supino carent, plusquamperfectum
subjunctivi in perfectum infiniti fere mutant. (Cic. Att. 14. 14). Nonne meministi clamare
te, omnia PERIISSE, si Caesar funere ELATUS ESSET? (id. Off. 1. 4). Platonem existimo, si *ge-*
nus forense dicendi tractare VOLUISSET, gravissime et copiosissime POTUISSE dicere.

411. Interrogatio directa in oratione obliqua ita exprimitur:

α) Si verbum interrogandi est in 1.^a vel 3.^a persona, mutatur in infi-
nitum.

β) Si est in 2.^a persona, transit in subjunctivum.

(Caes. B. G. 1. 14). Quod si veteris contumeliae oblivisci vellet, num
etiam recentium injuriarum memoriam deponere POSSE? (loq. dir. *Etsi velim,*
num possum?) (Liv. 7. 18). Plebes contra fremit: Quid SE VIVERE? (loq. dir.
Quid vivimus?) (id. 1. 50). An quidquam superbius ESSE (*dicebant*)? (loq.
dir. *An quidquam superbius est?*) (Caes. B. G. 1. 40). (*Eos incusavit*) quid
tandem VERERENTUR? aut cur de *sua virtute* DESPERARENT? (loq. dir. *Quid*
veremini? aut cur de *mea virtute* desperatis?)

N. B. Ut vides, 1.^a persona in 3.^{am} mutatur.

CAPUT XVI

DE PARTICIPIO

ARTICULUS I. DE PARTICIPIORUM CASIBUS

412. [366]. Participia eisdem habent casus, quos verba a
quibus proficiscuntur. (Cic. Fam. 6. 14). Semperque magis ad-
versos rerum EXITUS METUENS, quam SPERANS SECUNDOS. (Liv.
1. 33). (*Ancus*) ingenti PRAEDA POTITUS, Romam redit.

413. [369]. Participia praesentis interrogandi casu gaudent, quum
fiunt nomina. (Cic. Att. 1. 19). Boni cives AMANTES PATRIAE. (Sall. Cat.
5). Corpus PATIENS INEDIAE, VIGILIAE, ALGORIS. (Cic. Planc. 5. 13). SI-
TIENTEM *me* VIRTUTIS TUAE deseruisti. (id. Fam. 1. 5). Neque prudentiorem
esse judico, neque AMANTIOREM TUI. (id. Fam. 16. 7). Ad nos AMANTISSI-
MOS TUI veni.

[367]. Participia passiva praeteriti temporis dativo gaudent, quum
fiunt nomina. (Cic. Amic. 4). Sperare videor, Scipionis et Laelii amicitiam
notam POSTERITATI fore.

N. B. 4.º Hujus generis sunt *notus, cognitus* (conocido), *perspectus, exploratus, compertus* (bien visto, averiguado), *optatus* (deseado), *dilectus* (amado), *spectatus* (conocido), *probatus* (aprobado), *acceptus, despectus, contemptus, neglectus* (despreciado), *auditus, visus*, et ex his composita, ut *incognitus, inauditus, invisus*. (Cic. Att. 11. 4). *Tua erga me MIHI perspectissima benevolentia.* (id. Acad. 1. 2. 47). *Cui possit exploratum esse de sua sanitate.* (id. Div. 3). *Quid est quod sociis optatus esse possit.* (Plaut. Pers. 2. 1. 4). *Me equidem jam satis TIBI spectatum censueram esse.* (Liv. 4. 45). *Acceptissimus militum ANIMIS.* (Cic. Som. Scip. 3). *Nihil est DEO acceptius.* (Nep. 46. 1). *Pelopidas magis HISTORICIS quam VULGO notus est.*

N. B. 2.º Participia tum praesentis tum praeteriti temporis, quando adjectivorum naturam induunt, saepe accipiunt comparativa et superlativa. (Cic. Fam. 1. 5). *AMANTIOR tui.* (id. ib. 46. 7). *AMANTISSIMUS tui.* (id. Att. 6. 4). *Nihil illo regno SPOLIATIUS, nihil rege EAGENTIUS.* [370] (1).

ARTICULUS II. ANOMALA PARTICIPII PRAETERITI SIGNIFICATIO [368]

414. *Exosus* (el que aborrece), *perosus* (el que aborrece mucho) forma sunt passiva, at significatione fere activa, et postulant accusativum. (Liv. 3. 54). *Plebs consulum NOMEN PEROSA erat.*

N. B. PERTAESUS IGNAVIAM suam, (cansado de su inacción) dixit Suetonius. (Caes. 7); LENTITUDINIS eorum PERTAESA, Tacitus (An. 45. 51).

415. *Caenatus* et *incaenatus, pransus* et *impransus* active significant; *juratus* et *potus* tum active tum passive. (Cat. RR. 156). *Cubet INCAENATUS.* (Váyase á la cama sin cenar). (Cil. Mil 21). *Adde inscitiam PRANSI, POTI, oscitantis ducis.* (Añádase la impericia del capitán bien comido y bebido y soñoliento). (id. de Cl. Or. 11). *Eo (sanguine tauri) POTO.* (Bebida la sangre del toro) (2).

N. B. Participia praeteriti non oriuntur fere a verbis neutris nisi impersonaliter, ut *ventum est*; nonnulla tamen ab ipsis passiva significatione proficiscuntur. (Cic. Att. 9. 12). *EVIGILATA consilia.* (Consejos muy pesados). (id. Sext. 38). *Morte OBITA* [120].

ARTICULUS III. DE PARTICIPIO IN *dus* [361-363]

416. Participia futuri in *dus* pro ablativo cum praepositione *a* vel *ab* saepissime dativum habent. (Cic. Or. 14). *Tria viden-*

(1) Quae participia comparentur usus te docebit. Ecce tamen nonnulla praeter alata. *PRAESENTIS* (Cic. Amic. 14) *appetentius*, (id. Tusc. 2. 24) *appetentissimus*. (Liv. 25. 38) *obedientior*, (id. 7. 43) *obedientissimus*. (Cic. Q. Fr. 1. 4) *patientior*, (id. Ligar. 8) *patientissimus*. (Cic. Pison. 26) *abundantior*, (id. de Orat. 2. 14) *abundantissimus*. *PRAETERITI*. (Cic. Fam. 6. 22) *desperatior*, (id. Verr. 2. 2. 41) *desperatissimus*, (ad Heren. 3. 45) *consideratior*, (Font. 12) *consideratissimus*. (Cic. Sen. 9) *contemptior*, (id. Fin. 2. 28) *contemptissimus*. Abundare videntur comparativis et superlativis participia praeteriti magis quam praesentis. Utriusque classis multa habes apud. Guardia-Wierzeyski. Gram. lat. 2. 1. 46.

(2) Sic etiam hispane *cenado, comido*, etc. Cf. Acad. 1. 7. Bello n. 4417. Nonell pag. 67.

da sunt ORATORI. (id. de Or. 1. 23). *Gerendus est TIBI mos adolescentibus.* (Debes condescender con los jóvenes).

417. Participia futuri in *dus* eleganter adduntur verbis *do, loco, conduco, curo, habeo, trado, attribuo*, et aliis quae significant *commendare, sumere, relinquere*, etc. (Cic. Mur. 38). *Cui rempublicam cupio TRADERE DEFENDENDAM.* (A quien deseo entregar la república para que la defienda). (id. Cat. 4. 6). *Hic ATTRIBUIT nos TRUCIDANDOS Celhego, caeteros cives INTERFICIENDOS Gabinio, urbem INFLAMMANDAM Cassio, totam Italiam VASTANDAM DIRIPIENDAMQUE Catilinae.* (id. Fam. 1. 9). *Libros CURABO ad te PERFERENDOS.* (id. Phil. 9. 7). *Eam basim statuamque FACIENDAM LOCENT.* (Cf. n. 476. 4.º).

418. Verba intransitiva pro participio in *dus*, quo fere privantur, habent participiale in *dum*, quod impersonaliter usurpatur, ac saepissime dativum habet. (Liv. 33. 40). *Quousque PROGREDIENDUM fuerit IPSIS.*

N. B. 1.º Participiale in *dum*, praeter dativum, etiam casum sui verbi admittit. (Cic. Tusc. 2. 26). *Tuo tibi JUDICIO est utendum.*

N. B. 2.º Nonnulla tamen verba intransitiva (423 et 427) ut *doleo, fruor, utor*, habent participium futuri in *dus*. (Cic. Fin. 1. 4). *FRUENDA etiam est (sapientia).* (id. Fam. 12. 23). *Neque enim quae tu moderate fers a te non ulciscenda sunt, etiamsi non sunt DOLENDAM* [120].

N. B. 3.º Prisci etiam verbis activis tribuebant participiale in *dum*, cui apponebant accusativum. (Lucr. 1. 112). *Aeternas quoniam POENAS in morte TIMENDUM.* Eruditius vero saeculum romanorum maluit participio passivo uti (Conf. n. 416), cui saepe, pro ablativo cum praepositione *ab*, dativum adjugebat graecorum more (Cf. 475. 6.º).

ARTICULUS IV. ABLATIVUS ABSOLUTUS [339]

419. Ablativus absolutus dicitur nomen substantivum vel pronomen personale positum in ablativo sine praepositione, adjuncto vel participio, vel substantivo vel adjectivo, et locum habens orationis interpositae. (Cic. Att. 14. 6). *Ad te scripsi, APPOSITA SECUNDA MENSA.* (id. de Cl. Or. 11). *Cautius historiam attingam, TE AUDIENTE.* (id. Fam. 1. 2). *Ne quid agi cum populo, SALVIS LEGIBUS, possit.* (id. Q. Fr. 1. 3). *Ut, VIVO ME, aliis indigeres.* (id. Leg. 1. 6). *Quod AUCTORE TE velle caepi, ADJUTORE assequar.* (id. Att. 5. 5). *ISTA (natura) DUCE, errari nullo pacto potest* (1).

(1) Loca solito plura congesimus, ut hujus ablativi tum natura, tum frequentissimus usus facile perspiciatur. Nam invenies in primo exemplo substantivum cum par-

420. Si substantivum, cum quo cohaeret appositum, ab aliquo verbo pendeat, vix locus erit ablativo absoluto. (Cic. Plane. 26). *Ego quum, DECEDENS e provincia, Puteolos forte venissem; (non vero decente me).* (id. Att. 21). *EUNTI MIHI Antium et gladiatores M. Metelli cupide RELINQUENTI, venit obviam tuus puer; (non eunte me...).*

N. B. Raro contrarium fit. (Cic. Phil. 11. 40). *Nemo erit qui credat, TE INVITO, provinciam tibi esse decretam; (pro tibi invito provinciam esse decretam).*

421. Nonnumquam absolute ponitur participium praeteriti temporis sine nomine, cujus loco est oratio integra. (Liv. 31. 39). *Inde (consul) ad Pluinam est progressus, nondum COMPERTO, QUAM REGIONEM HOSTES PETISSENT.* (De aquí partió el cónsul para Pluvina, no habiéndose averiguado todavía á qué parte se habían dirigido los enemigos) (1).

N. B. Eadem ratione adhibentur aliquando etiam adjectiva. (Liv. 28. 36). *Multi adnantes navibus, INCERTO prae tenebris, QUID AUT PETERENT AUT VITARENT, foede interierunt; (pro quum esset incertum...).*

CAPUT XVII

DE GERUNDIO ET SUPINO

ARTICULUS I. GERUNDIA ACTIVA [352-356]

422. Gerundia activa casus suorum verborum admittunt, ut *tempus est obliviscendi injuriam, ignoscendi inimicis, coercendi cupiditates, abstinendi maledictis.*

423. 1.º Gerundium genitivi additur substantivis ut *amor, causa, cupiditas, facultas, mos, ratio, studium, tempus, etc.* et adjectivis quae genitivum postulant, ut *cupidus discendi, insuetus navigandi, etc.* (Cic. Sen. 23). *Equidem efferor STUDIO patres vestros VIDENDI.* (id. de Orat. 2. 4). *Sum CUPIDUS te AUDIENDI.*

ticipio, in secundo pronomen cum participio; tertium continet substantivum cum adjectivo, quartum pronomen cum adjectivo, quintum duo substantiva, sextum denique pronomen cum substantivo. Similes prorsus et elegantissimas ad describendum loquutiones habet lingua hispana, quas vide apud Bello n. 4473-4480 et Nonell p. 236.

(1) Hujus generis sunt. (Tac. Ann. 2. 7) *audito*; (id. ib. 1. 46) *cognito*; (id. ib. 3. 44) *credito*; (id. ib. 2. 64) *nunciato*; (id. Hist. 2. 49) *explorato*; (Liv. 10. 36) *edicto*; et alia nonnulla.

2.º Gerundium dativi activae significationis raro reperitur; jungitur autem adjectivis aut verbis, quae dativum postulant, ut *utilis, bonus, operam do.* (Liv. 36. 10). *Ut nec triumviri ACCIPIENDO, nec scribae REFERENDO SUFFICERENT.*

3.º Gerundium accusativi additur praepositionibus *ob, inter,* praesertim vero *ad post* verba motus et adjectiva *aptus, expeditus, facilis, idoneus, paratus,* et horum similia. (Cic. Tusc. 3. 7). *APTUS AD EXEQUENDUM munus suum.* (id. de Cl. Or. 31). *TRADUCTI a disputando AD DICENDUM.* (Liv. 2. 20). *INTER SPOLIANDUM corpus hostis.* (Cic. Verr. 2. 2. 32). *A quo pecuniam OB ABSOLVENDUM acceperis.*

4.º Gerundium ablativi modo sine praepositione, modo cum praepositione *a vel ab, ex, de, in,* raro *cum* et *pro,* in oratione adhibetur. (Cic. Lig. 12). *Homines ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus DANDO.* (Cic. de Cl. Or. 31). *Traducti a DISPUTANDO ad dicendum.* (id. Fam. 5. 18). *Summa voluptas EX DISCENDO capitur.* (id. Att. 9. 1). *Quid cogites DE TRANSEUNDO in Epirum, scire sane velim.*

N. B. Interdum scriptores, praesertim poetae, infinitum usurpant pro gerundio. (Caes. B. G. 7. 71). *Vercingetorix consilium capit, omnem ab se equitatum noctu DIMITTERE; (pro dimittendi).* (Cic. Topic. 4). *Sed jam tempus est, ad id quod institimus ACCEDERE; (pro accedendi).* (Virg. Aen. 2. 10). *Amor casus COGNOSCERE nostros; (pro cognoscendi).*—(Virg. Ecl. 7. 5). *Et cantare pares, et RESPONDERE parati; (pro ad respondendum).* (Ter. Phorm. 1. 2. 52). *Vultisne eamus VISERE? (pro ad visendum).*—(Virg. Geor. 1. 284). *Felix et PONERE vitem, et prensos DOMITARE boves; (pro in ponendis vitibus).* (Cf. n. 476. 2.º et 3.º).

ARTICULUS II. GERUNDIA PASSIVA [357-360]

424. Gerundia quae passionem significant (1), nullum post se casum admittunt. (Virg. Geor. 3. 454). *Alitur vitium, crescit-*

(1) Grammatici nonnulli (Madvig §. 418, Guardia et Wierzeyski 2. 3. 260. etc.) negant hujusmodi gerundia esse vere passiva: verum non visum est a sententia P. Alvari recedendum, quum plurima sint loca, in quibus recte gerundia illa, sive re vera sive specie tantum passiva, verbo passivo exponantur, cujus subjectum sit res vel persona ad quam gerundium referatur. (Nep. Att. 9). *Spes RESTITUENDI nulla erat (i. e. restitutionis vel fore ut restitueretur, ut exponit Mavig loco citato).* (Cic. Dom. 23). *Alteri pacatissimas gentes ad DIRIPIENDUM tradidisti (i. e. ut diriperentur).* (Cic. N. D. 2. 52). *Mollitos et oblimatos agros ad SERENDUM relinquit (para sembrar, i. e. para ser sembrados); nam hispane sunt non paucae loquutiones cum infinito forma quidem activo, significatione autem passivo, ut bueno de comer vel para comer.* (Cf. Nonell p. 417 et Bello n. 4405).

que TEGENDO; (estando encubierto). (Quint. 11. 2). *Ipsa (memoria) EXCOLENDO augetur.*

425. Gerundia quae accusativo gaudent, fere elegantius ita efferentur, ut gerundii casus maneat, servato tamen genere ac numero accusativi: v. g. *Pompejus studiosus fuit rempublicam defendendi; Pompejus studiosus fuit REIPUBLICAE DEFENDENDAE.* (Cic. Phil. 4. 4). *Princeps vestrae LIBERTATIS DEFENDENDAE fui.* (id. Fam. 2. 4). *Hoc quidquid attigi, non feci INFLAMMANDI TUI causa, sed TESTIFICANDI AMORIS mei.* (Liv. 2. 17). *Quod VULNERIBUS CURANDIS, SUPPLENDOQUE EXERCITUI satis esset.* (Cic. de Orat. 3. 33). *Plerique ad HONORES ADIPISCENDOS et ad REMPUBLICAM GERENDAM nudi veniunt atque inermes.* (Cic. Off. 1. 8). *Expetuntur divitiae ad PERFRIENDAS VOLUPTATES.* (Cic. Verr. 3. 3. 98). *Si ubertas in PERCIPIENDIS FRUCTIBUS fuit, consequitur vilitas in VENDENDIS.*

N. B. Licet sint verba passiva, respuunt tamen ablativum cum praepositione.

426. Gerundium genitivi nonnumquam admittit post se accusativum, maxime si hic accusativus adjectivum est vel pronomen. (Cic. Fin. 5. 15). *Ita nati factique sumus, ut et AGENDI ALIQUID, et DILIGENDI ALIQUOS, et referendae gratiae principia in nobis contineremus.*

N. B. 1.º Gerundia in *di* admittunt interdum per attractionem genitivum etiam multitudinis, saepe vero genitivos *mei, tui, sui, nostri, vestri, ejus.* (Cic. Inv. 2. 2). *EXEMPLORUM eligendi potestas.* (id. Phil. 5. 3). *Utrum M. Antonio facultas detur AGRORUM CONDONANDI.* Sic etiam dicemus: *Vos adhortandi causa* vel *VESTRI ADHORTANDI causa*, non vero *vestri adhortandorum* [354].

N. B. 2.º Constructionem passivam amat gerundium dativi, neque facile imitandi sunt, qui accusativum adjunxerunt. Gerundia etiam in *do* et *dum*, quibus additur praepositio, raro sequitur casus, dices enim *ad placandos deos*, non vero *ad placandum deos*; item fere semper, in *victore laudando*, non autem in *laudando victorem*.

ARTICULUS III. SUPINA [365-366]

427. Supinum in *um* cum casu vel sine casu amant verba quae motum adsignificant. (Ter. Phorm. 2. 4. 462). *PERCONTATUM IBO.* (id. Heaut. 3. 5. 26). *ABI DEAMBULATUM.* (Caes. B. G. 1. 2). *Aedui legatos ad Caesarem mittunt ROGATUM AUXILIUM.*

428. Supinum in *u* fere passivae significationis est sine casu, adhaeretque nominibus adjectivis *facilis, difficilis, optimus, turpis*, etc. et substantivis *fas, nefas, opus.* (Cic. Fam. 1. 7). *Quod scire vis, DIFFICILE DICTUM est.* (id. Att. 7. 22). *Quod OPTIMUM FACTUM videbitur facies.*

N. B. Post adjectiva *facilis, difficilis, jucundus* eodem sensu invenitur praepositio ad cum gerundio in *dum.* (Cic. de Or. 1. 49). *Verba AD AUDIENDUM jucunda.*

CAPUT XVIII

DE PRAEPOSITIONE (1)

§ I. In, sub, super, subter [389]

429. *In, sub, super, subter* modo accusativum, modo ablativum pro varia significatione postulant.

In accusativum amat 1.º cum verbis motus. (Cic. Sen. 11). *Venio IN SENATUM frequens.* (Id. Cat. 1. 8). *IM EXILIUM proficiscere.*

2.º Pro *erga*, ut *Brutus fuit pius IN PATRIAM, crudelis IN LIBEROS.*

3.º Pro *contra.* (Cic. in Sallust.). *Petulanter IN UXOREM et FILIAM meam invasisti.*

4.º Pro *per* seu *pro*, ut *commodare librum alicui IN DIEM, IN MENSEM.* (Cic. Cat. 1. 2). *Crescit IN DIES singulos hostium numerus.*

430. *In* ablativo gaudet 1.º quum *quies* aut aliquid fieri in loco significatur. (Cic. Leg. 1. 3). *IN viridi opacaque RIPA inambulantes.* (Id. Att. 11. 15). *IN hac SOLITUDINE careo omnium colloquio.*

2.º Quum ponitur pro *inter.* (Cic. Amic. 5). *Hoc primum sentio, nisi IN BONIS amicitiam esse non posse.*

N. B. *In* post verbum *dominor* ablativum vel accusativum habet, si referatur ad personas; ablativum tantum, si ad loca. (Cic. Tusc. 1. 30). *Vetat enim dominans ille IN NOBIS Deus, injussu hinc nos suo demigrare.* (Cic. Sen. 11). *Senectus honesta est, si usque ad extremum dominatur IN SUOS.* (Cic. Caecin. 25). *Nimia ista, quae dominatur IN CIVITATE potentia, in hoc solo genere quiescit.*

431. *Sub* fere accusandi casum postulat, 1.º quum tempus adsignificat, pro *paulo ante, circiter, per:* ut *sub vesperum, sub lucis ortum, sub idem tempus.* (Caes. B. G. 1. 28). *Pompejus SUB NOCTEM naves solvit.* (Liv. 22. 47). *SUB equestris FINEM certaminis coorta est peditum pugna.*

2.º Pro *post.* (Cic. Fam. 10. 16). *SUB EAS* (Lepidi litteras) *statim recitatae sunt tuae.*

(1) Varium usum significationemque praepositionum, scribit Alvarus n. 385, audiendis legendisque veterum scriptis discent paulatim adolescentes, quae si in unum locum congerantur, molestiam taediumque afferunt. Quare satius erit, et ad praesens institutum, et ad adolescentium institutionem, frequentiores hic adhibuisse; si quae vero gravior occurreret difficultas, aliquem ex iis auctoribus consulto, qui haec subtilius tractarunt, ut Guardia-Wierzeyski 2. 2. n. 42. 43 et 44.—Campini vol. II. cap. 42.

3.° Cum verbis motus. (Cic. Font. 1). SUB *populi romani IMPERIUM DITIONEMQUE ceciderunt.*

At cum verbis quietis ablativum poscit. (Virg. Ecl. 7. 10). *Et, si quid cessare potes, requiesce SUB UMBRA.* (Cic. N. D. 2. 37). *Si essent, qui SUB TERRA semper habitavissent.*

432. Super accusativo servit 1.° quum praepositioni *subter* contraria est, sive cum motu sit, ut *tegula super caput cecidit*: sive cum quiete, ut (Cic. Leg. 2. 26). *Nam (Demetrius) SUPER terrae TUMULUM noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiore.*

2.° Item quum significat *inter*. (Curt. 7. 4). *Bessus circumferri merum largius jubet, debellaturus SUPER MENSAM Alexandrum.*

433. Ablativo jungitur 1.° quum pro *de* ponitur. (Cic. Att. 6. 6). *Hac SUPER RE scribam ad te Rhegio.*

2.° Interdum cum verbo quietis, maxime apud poetas. (Virg. Aen. 6. 204). *Sedibus optatis gemina SUPER ARBORE sidunt.* (Id. Ecl. 1. 81). *FRONDE SUPER viridi.*

434. *Subter* ferme accusandi casum poscit, sive quietis sive motus verbis adjungatur. (Cic. Tusc. 1. 10). *Plato iram in pectore, cupiditatem SUBTER PRAECORDIA locavit.*

N. B. Interdum, apud poetas potissimum, ablativum habet. (Virg. Aen. 9. 514). *Ferre juvat SUBTER densa TESTUDINE casus.*

§ II. PRAEPOSITIONES SUO CASUI POSTPOSITAE [387]

435. *Versus* et *tenus* suo casui postponuntur. (Cic. Att. 16. 10). *Verti me a Minturnis ARPINUM VERSUS.* (Cic. Arat. 323). *Et Cepheus conditur ante LUMBORUM TENUS.* (Cic. Deiot. 13). *Quum (Antiochus) TAURO TENUS regnare jussus esset.*

436. *Cum* in his tantum semper postponitur: *mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum*: nonnumquam in his, *quocum, quicum, quibuscum.*

§ III. PRAEPOSITIONES INTERPOSITAE

437. *De, in, inter, ob* et aliae nonnullae eleganter interponuntur interdum. (Cic. de Or. 1. 41). *Certis DE causis.* (Nep. Mil. 5). *Hoc IN tempore.* (Cic. de Cl. Or. 64). *Suos INTER aequales.* (Virg. Ecl. 1. 23). *Verum haec tantum alias INTER caput extulit urbes—Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

N. B. *Inter, circum* interdum apud poetas postponuntur. (Virg. Aen. 1. 37). *Maria omnia CIRCUM.*

Apud oratores aut vix aut raro admodum. (Cic. Amic. 22). *Si quos INTER societas aut est, aut fuit, aut futura est.*

Neque enim *inter* si quos, neque si *inter* quos recte eo loco dici posse videbatur: alioqui semper praecit.

§ IV. PRAEPOSITIONES IN ADVERBIUM VERSAE [390]

438. Praepositio, quum casu privatur, in adverbium migrat. (Cic. Att. 4. 17). *Tu adventare et PROPE adesse jam debes.* (Id. Flac. 23). *Haec, pecunia tota recuperata est multis POST annis.* (Id. N. D. 2. 59). *Sensibus et anima ea, quae EXTRA sunt, percipimus.*

N. B. Hujus generis sunt *ante, contra, citra, circum, circiter, extra, intra, infra, post, prope, pone, ultra, usque* et aliae nonnullae.

§ V. A, ab, abs QUIBUS LITTERIS PRAEONANTUR [388]

439. A consonantibus praepositur. (Cic. Phil. 5. 13). *A tergo, a fronte, a lateribus tenebitur.*

Ab praepositur 1.° vocalibus. (Cic. Att. 1. 15). *Effice, ut AB omnibus et laudemur et amemur.*

2.° Nonnullis etiam consonantibus. (Cic. Cluent. 59). *AB nullo ille liberalius quam a Cluentio tractatus est.* (Id. Att. 5. 17). *Qui (Dejotarus filius) rex AB senatu appellatus est.*

Praecipue *l, r et j* praepositur, ut *ab legatis, ab romanis, ab Jove.*

Abs praepositur litterae *t* et interdum *q*. (Ter. Andr. 3. 2. 12). *O Dave, itane contemnor ABS te?* (Id. Adelp. 2. 2. 1). *ABS quovis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas.*

N. B. Historici, praecipue Livius, liberius utuntur praepositione *ab*. *Ab classe, ab Carthagine, ab dictatore, ab Gallia, ab Servio, ab Tarquiniis, etc.* Quae passim imitanda non videntur, nisi in historia.

CAPUT XIX

DE CONSTRUCTIONE ADVERBII

§ I. NOMINATIVUS POST ADVERBIUM [392]

440. *En, ecce* nominandi vel accusandi casum admittunt. (Cic. Verr. 2. 4. 66). *Ecce nova TURBA atque RIXA.* (Id. Deiot. 6). *En CRIMEN, en CAUSA.* (Id. Fin. 2. 30). *Ecce miserum HOMINEM.*

Apponitur et dativus *tibi* non sine lepore. (Cic. Att. 2. 19). *Quum haec maxime scriberem, ecce TIBI Sebosus.* (Id. Off. 3. 21). *Ecce TIBI, qui rex populi romani dominusque omnium gentium esse concupierit.*

§ II. GENITIVUS POST ADVERBIUM [393-395]

441. *Affatim* (abundantemente), *satis* (bastante), *abunde* (copiosamente), *nimis* (demasiado), *parum* (poco), *instar* (á manera de), *partim* (parte), *ergo pro causa* genitivo junguntur. (Ter. Phorm. 2. 3. 89). *Satis jam* VERBORUM *est*. (Cic. Orat. 51). *Nimis* INSIDIARUM *ad capiendas aures adhiberi videtur*. (Sall. Cat. 5). *Satis* LOQUENTIAE, SAPIENTIAE *parum*. (Cic. de Cl. Orat. 51). *Plato mihi unus instar est* OMNIUM MILLIUM. (Liv. 37. 47). VICTORIAE NAVALIS *ergo in unum diem supplicatio decreta est*.

Item adverbia superlativa a nominibus orta. (Cic. de Cl. Or. 20). *Maxime* OMNIUM NOSTRUM *graecis litteris studuit*. (Id. de Cl. Or. 72). *Saepeissime* audio, *illum* OMNIUM *fere* ORATORUM *loqui elegantissime*.

N. B. Genitivus hic in ablativum cum praepositione migrare potest. (Cic. cl. or. 67). *Piso maxime* EX OMNIBUS, *qui ante fuerunt, graecis doctrinis eruditus fuit*.

442. *Ubi, ubinam, ubicumque, ubivis, quo, quovis, quoquo, nusquam* genitivos *terrarum* vel *gentium* eleganter admittunt. (Cic. Att. 5. 10). *Quia, quid ageres, ubi* TERRARUM *esses, ne suspicabar quidem*. (Ter. Adelp. 4. 2. 1). *Fratrem nusquam invenio* GENTIUM.

N. B. 1.º Dicitur et *longe gentium*. (Cic. Att. 6. 3). *Tu abes longe* GENTIUM.

N. B. 2.º Huc spectant adverbia *eo, huc*. (Liv. 25. 8). *Eo* CONSUETUDINIS *adducta res est, ut etc.* (Curt. Hist. 7. 4). *Huc* MALORUM *ventum est*. Cicero tamen diceret: *ad eam consuetudinem, ad haec mala*.

443. *Pridie* et *postridie* genitivum et accusativum casum postulant. (Cic. Fam. 1. 4). *Illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie* EJUS DIEI *fregeramus*. (Id. Fam. 3. 4). *Pridie* NONAS JUNIAS *litteras tuas accepi*.

N. B. Adverbium *tunc* cum genitivo *temporis* raro apud scriptores idoneos reperitur. (Justin. Hist. 4). *Sed de gente obscura tunc* TEMPORIS *Persarum*.

§ III. DATIVUS POST ADVERBIUM [396]

444. Quaedam adverbia dandi casum possunt more eorum, unde deducuntur, ut *congruenter convenienterque naturae vivere, dicere congruenter rationi, obviam alicui ire, procedere, prodire*. Nam *congruens, conveniens, obvius* dativo gaudent. (Cic. Fin. 2. 26). *Non quaero quid dicat, sed quid convenienter* RATIONI *possit et* SENTENTIAE SVAE *dicere*. (Id. Phil. 3. 32). *Caesari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti*.

§ IV. DATIVUS VEL ACCUSATIVUS POST ADVERBIUM [397]

445. *Propius, proxime* dandi vel accusandi casum exigunt. (Cic. Phil. 7. 9). *Oportet exercitum eduxerit, nec propius* URBEM *millia passuum*

ducenta admoverit. (Cic. Att. 6. 5). *Officium meum esse putavi, exercitum habere quam proxime* HOSTEM. (Caes. B. C. 1. 72). *Quam proxime potest* hostium CASTRIS *castra communit*.

N. B. *Propius* jungitur nonnumquam cum praepositione *a* vel *ab*. (Cic. N. D. 1. 31). *Quinque stellae aliae propius* A TERRIS, *aliae remotius, eadem spatia conficiunt*.

§ V. RELIQUA ADVERBIA [400-408]

446. *Ut pro veluti* similes antecedenti casui sub eodem verbo casus exposcit. (Cic. Acad. 4. 20). *Me, Catule, oratio Luculli de ipsa re ita movit, ut docti* HOMINIS *et copiosi*. (Id. Acad. 4. 24). *Ea se sola percipere* (dicunt), *quae tactu intimo sentiant, ut* DOLOREM, *ut* VOLUPTATEM. (Id. Acad. 1. 7). *Quibus* (verbis), *ut* ALIIS MULTIS, *consuetudo jam utitur pro* latinis.

N. B. Idem dicimus de particulis *tamquam, quasi, sicut* et similibus. (Cic. de Cl. Or. 74). *Aetatis illius ista fuit laus, tamquam* INNOCENTIAE, *sic latine loquendi*.

447. Superlativis jungitur *quam* sequente verbo *possum, longe* pro *valde, et facile, quum sine dubio* significat. (Cic. Fam. 15. 4). *Quam potui* MAXIMIS *itineribus ad Amanum exercitum duxi*. (Id. de Cl. Or. 62). *Longe post natos homines* IMPROBISSIMUS. (Id. Rab. Post. 9). *Virum unum totius* Graeciae *facile doctissimum* Platonem.

N. B. 1.º In caeteris casibus *quam* fere positivis gaudet, nisi forte verbum *possum* lateat. (Cic. Fam. 7. 15). *Quam sint* MOROSI *qui amant, vel ex hoc intelligi potest*. (Cic. Fam. 16. 21). *Sed peto a te, ut* QUAM *celerrime mihi librarius mittatur*.

N. B. 2.º Alia adverbia ut *per, perquam, sane, valde, admodum, in primis*, etc. fere gaudent positivis. (Cic. Verr. 2. 1. 26). *Erat in primis inter suos* COPIOSUS.

N. B. 3.º *Tam, quam* nominibus junguntur et quidem frequentissime positivis, *tantum, quantum* potius verbis. (Cic. Orat. 30). *Nemo orator tam multa scripsit, quam multa sunt nostra*. (Id. Fam. 4. 7). *Gratia tantum possumus, quantum victi*.

N. B. 4.º Nota hujusmodi loquutiones. (Cic. Sull. 21). *Tam sum* mitis, *quam qui lenissimus*. (Id. Fam. 5. 2). *Tam sum* amicus *reipublicae, quam qui maxime*. (Id. ib. 13. 62). *Te semper sic colam et tuebor, ut quem diligentissime*.

N. B. 5.º Adverbia in *um* adhaerent positivis, adverbia in *o* comparativis. (Vid. n. 283. N. B. 2.º). *Multo* jungitur etiam superlativis; *longe* vero nominibus et adverbis diversitatis. (Cic. Font. 17). *O fortunam* LONGE *disparem*.

CAPUT XX

DE INTERJECTIONIS CONSTRUCTIONE [409]

448. *O* tribus casibus adjungitur: 1.º nominandi. (Ter. Phorm. 2. 2. 10). *O* VIR *fortis atque* AMICUS!

2.º Accusandi. (Ter. Eun. 5. 5. 1). *O infelicem* ADOLESCENTULUM, *o scelestum* PARMENONEM. (Cic. Fam. 14. 4). *O* ME *perditum! o* AFFLICTUM!